


Questo libro composto di libretti trentanove ha un gran valore. Il suo più gran pregio consiste nella lettera di Cristoforo Colombo in lingua Spagnola.



12

PETRI MAGNI ORATIO

IN FVNERE ALEXANDRI FARNESII. S. R. E. CARDINALIS

IN. EVMDEM. ELEGIA Francisci Bencij e Societate Iesu.




SVPERIORVM PERMISSV.

Romæ, Apud Vincentium Accoltum, in Burgo.
M. D. LXXXVIIII.



PETRI MAGNI ORATIO IN FVNERE ALEXANDRI FARNESII S. R. E. CARDINALIS





VNQVAM existimaui Patres Amplissimi futurum, vt de Farnesij Cardinalis laudibus agēti verba deessent. Nam qui orbē terrae vniuersum splendore sui nominis & beneficētia peragrauit: quem patronum prouinciae, nationes, ecclesiae innumerabiles agnoscebant: ad quem reges maximi suis in rebus arduis confugere solebant: eius laudum etsi difficilius exitū, quam initium reperias: tamen cum cogito tam salutare terris lumen extinctum: quibusdam quasi tenebris ingenij mei vires obruuntur: vt nec quid dicam, nec quemadmodum dicam satis expedire possim. Non est ea nobis animi firmitas, vt eloquentiam dolor excitet. opprimit potius, & si quid est in me facultatis, infringit: meq. ad agendum omnino inutilem reddit. Conemur tamen: acerbitatemq. luctus officij necessitas vincat. Quando enim in tam beneficum Principem grati erimus,

mus, si non illi extremum hoc quidquid est muneris persoluemus? Nec vero commemorandis maiorum laudibus tempus teram: nec Farnesiae gentis decora e priscis annalibus eruam. Hoc faciendum esset, si apud Indos, aut Persas, non apud vos dicerem P. A. tametsi nullam esse opinor nationem tam immanem & barbaram, quae nobilitatem Farnesiae gentis ignoret. Illud vnum non silebo: nullam vmquam in hac vrbe familiam pietate, ac perpetua in Christi Vicarios obediẽtia Farnesiis Principibus praestitisse. quamquã enim illi semper egregiis belli pacisq. artibus floruerunt: hac tamẽ virtute praecipue gloriãtur. Ex hac familia ortus Alexander Farnesius Petri Aloisij Ducis F. Pauli III. Pontificis N. annum agens quartum decimum ab auo in ordinẽ Cardinalium legitur. Eam dignitatem non desidiae occasionem, sed ad omnia præclara studia capessenda stimulum ratus, mirum quam breui profecerit in optimis disciplinis, praesertim in iis, quae ecclesiasticos homines decent. Saepe enim dicere solebat, nec milite ignauo, nec clerico litterarum ignaro quidquam turpius. Erat Paulo III. Pontifice collegium Cardinalium, vt & hodie, refertum summis viris, atque omni virtutum genere praestantibus. Fuit enim Paulus in legendis patribus miro delectu. quippe intelligebat, honores & munera ecclesiastica, quorũ ipse distributioni à Deo praepositus fuisset, bona esse totius Christianae reip. communia, in iisque tribuendis habendam esse rationem omnium, qui in orbe Christiano sunt, omniumque spectari merita oportere. Itaque viros lectissimos vndique conuocarat, Polum, Contarenum, Bembum, Sodoletum, Sfondratum: Ceruinum item, atque Carafam, quorum vterque deinde Pontificatum alius post alium adeptus est. Sed & Bartholomeum

meum Caualcantem vltro accersiuit, atq. in intimis consiliariis habuit virum doctrina, eloquentia, ciuili prudeutia, nobilitate clarum. Horum Farnesius ac talium virorum consuetudine fruebatur. ad horum exemplum fingere se studebat. horum vocibus eius aures personabant. Ac rerum quidem earum, quae certa ratione & arte traduntur, doctores habuit in litteris omniq. honesta disciplina illius aetatis facile Principes. prudentiam vero non solum assiduo maximarum rerum vsu, ac prudentissimorum hominum consuetudine adeptus est, sed multò etiam magis admirabili sapientissimi Pontificis institutione. Is vt quidque notatu dignum acciderat, obseruationes ac praecepta quædam, & velut axiomata nepotis auribus instillabat: quae saepius vsurpata si non artem constituunt, certe non multum ab arte distant. Hoc adiumento Farnesij diuinum ingenium, quam paucis longa aetas contulit, eam breui sibi parauit, in iuuentute prudentiā. Nam quo pacto res tantas, tanta cum laude, tam adolescens agere potuisset, nisi ad excellentem naturam excellens institutio accessisset? Vixdum enim vicesimum annum attigerat, cum Legatus ad Carolum Caesarem missus est, ad comprimendam Gandauensium seditionē in Belgas expedito itinere properantem. Toto illo in itinere cum Farnesio Caesar de rebus grauissimis ad remp. pertinentibus egit, sine vllo internuntio, sine interprete. Hinc iuuenis indolem ac potius absolutam virtutem atque prudentiā admiratus dixisse fertur, Collegium Cardinalium si ex talibus viris constet, profecto senatum similem nusquam gentium reperiri. Atq. ex eo tempore Carolus maiorem in modum Pauli III. sapientiam suspicere coepit: cum quantus ille vir esset, ex eiusmodi nepotis institutione cognouisset. Franciscus

ſcus praeterea Galliarum rex & aliis virtutibus, & animi magnitudine inſignis, cum Imperatorem Carolum & Farneſium Legatum Lutetiae Pariſiorum apparatu regio accepiſſet: in tot maximorũ principum congreſſu ab vno Farneſio nunquam oculos deiiciebat. tanta illi morum ſuauitas inerat, in ſermone hilaritas, in actione dignitas & verecundia, in vultu maieſtas, in verbis fides. Nec minimam fuiſſe cauſſam exiſtimo Henrico Franciſci F. Galliarum regi, Dianae filiae Horatio Farneſio deſpondẽdae, perſpectam in fratre indolem. Biennio poſt aliam legationem obiit amplam & honorificã. Miſſus enim à Paulo III. Pont. Max. cum Carolo V. Imperatore & Ferdinando Romanorum rege Vormatiae congreditur; de quo bello Lutheranis inferendo ſic egit, vt continuo decerneretur. Deinde anno interpoſito, cum Paulus Pontif. Carolo Imperatori aduerſus haereticos bellum gerenti magna Italorum auxilia mitteret, Legatus tertio in Germaniam proficiſcitur, cum Octauio fratre, Parmae & Placentiae principe, earum copiarum duce. Ibi cum principibus & militaribus viris de bello conſultationibus intererat: cumque Caeſaris rogatu, quid quaque de re ſentiret, & ipſi dicendum eſſet: praefatus modeſtiae ſuae conſentanea, ita de ſingulis diſſerebat, vt omnes in ſuam ſententiam traheret. Nam in Alexandro Farneſio Cardinali à prima adoleſcentia ad vltimam ſenectutem, fuit, vt plerique noſtis, acerrima quaedam, & velociſſima vis ingenij, vt & de futuris callidiſſime coniiceret, & de praeſentibus veriſſime iudicaret. Ac mihi quidem in praeclaras eius actiones intuenti, haec interdum cogitatio ſubit animum. quibus cum illi res fuit, fuiſſe reges omnium maximos, potentiſſimos, rerum geſtarum gloria florentiſſimos. tempora, ſi vmquam alias,
diffi-

difficilia ac turbulenta, ardente bello Italia, Germania, Gallia, prouinciis aut fluctuantibus, aut haereticorum fraude distractis. qui Pontificatum quindecim annorum, si ad publicam vtilitatem referas, modicum; si cum aliis conferas, diuturnum. interea Farnesium omnia gubernasse. Legationes omnes aut ipsum obisse, aut quibus voluerit detulisse. ad auum, atque ab auo per ipsum omnia prouinciarum ac principum negotia manasse. vt quodammodo cuncta consensisse, & quasi conspirasse videantur ad eius prudentiam consummandam. Quid de iustitia, ceterisque virtutibus dicam? Mitto vrbanam hanc iurisdictionem, quae quamquam fere omnis a magistratibus pendet, mire tamen illum anxium ac solicitum habebat, minacis illius dicti memorem, Non esse malum in ciuitate, quod non faciat dominus. A nullo autem genere hominum tantopere cauebat, quam ab iis, qui nouo quodam nomine, postremis reip. temporibus reperto, cognoscendis criminibus intersunt, qui putant e sontium pecuniis aerarium augere, id praecipuum esse regentiũ munus. hos ille suspectissimos habebat, praesertim si quem eorum animaduerterat e paupere diuitem factum. Omnes autem nouimus, quam acerbe increpare solitus sit, siquis eorum, quorum ille in iudiciis causisque disceptandis opera vtebatur, munusculi quid acceperat. Hominibus autem Farnesiae ditionis, etiam rusticis atque humilibus, non solum atria, porticus, ambulationes, coenacula, sed & interiora ac secretiora cubicula, magis quam cuiquam familiarium, patebant. Est humanitas, peculiaris ac propria Farnesiorum principum virtus. alii duram prouinciam nacti sunt, quicumque aliquando, illis in administranda parte quapiam reipubl. successerunt. Testis est, vt alia omittam, Aue-

nionenſium ciuitas: qui Farneſij clementiam, aequitatem, ac ſingularem humanitatem experti, ſummis ad caelum laudibus tollunt. Venio nunc ad vberem illum atq. inexhauſtum liberalitatis & beneficentiae fontem. Heic nouum atque inauditum difficultatis in dicēdo genus experior P. A. Nam ceteri, qui ignota atque admirabilia huc interdum afferunt, in eo laborant, vt ea quae dicunt, indubitata vobis & vera videantur. mihi labor omnis in eo uerſatur, vt quae ſcitis, quae vidiſtis, quae ſaepius experti eſtis, ea dicendo conſequi poſſim, neu minor atque aridior expectatione veſtra oratio videatur. quod omnino tamen euenire mihi neceſſe eſt. Quis enim tanti principis benefacta aut verbis aequauerit, aut digne laudarit? Quis vmquam fando enumeret, quantos ille pauperum atque egentium aluerit greges? quot viduas ſuſtentarit? quot orborum puerorum millia ſuis ſumptibus educarit? quot virgines dotarit? quot honeſtas familias humanarnm rerum viciſſitudine in rei familiaris anguſtiā lapſas erexerit? quot viros nobiles à patria exulantes, & religionis cauſſa profugos victu, veſtitu, rebuſque neceſſariis iuuerit? quot iuuenibus, vt honeſto litterarum otio fruerentur, alimenta praebuerit? quoties ingentē captiuorum numerum à Turcarum ſeruitute liberarit? quot aureorum millia quotannis in pios vſus erogarit? Vereor in hac parte diutius immorari, ne, quod ille celare ſtuduit, oſtentare videar. Quid verbis opus eſt? Farneſij beneficentiam, quo te cumque verteris, tot aédificia, tot ſacrarum aedium ornamenta, huius ipſius templi parietes loquuntur. omnis ordo, omnis aetas, vniuerſa ciuitas vno ore teſtatur. Vidiſtis, cum corpus efferretur, vt ipſa ſibi luctum, vt ipſa ſibi iuſtitium indixerit? fora omnia, plateas omnes, omnia templa, reliqua omnia

nia

nia templa, reliqua omnia vrbis loca deſerta, præter vnam viam, qua funus ducebatur? Vidiſtis, qui fletus, quae lacrymae, quantum populi deſiderium, quae frequentia hominum, qui concurſus? Audiſtis, quae voces, qui gemitus querentium ſplendorem curiae, praeſulum decus, orbis terrae lumen extinctum. acclamationes omnium, patrem patriae, parentem pauperum appellantium? Quando vmquam tale aliquid vidimus? Atque vtinam vt hoc vidimus, ſic & beatorum ſpirituum choros mortales oculi cernere potuiſſent: quibus ille comitantibus, laudeſque Deo canentibus, e corporis vinculis in caeleſtem patriam euolauit? profecto ſpectaculum illud multo vehementius noſtrum omnium oculos, menteſque rapuiſſet. Quantam enim fuiſſe putandum eſt ex hac acceſſione illarum beatarum mentium voluptatem? Nam ſi exeunte ex Aegypto Iſraelitarum populo, montes exultarunt vt arietes: ſi homine vno pœnitentiam agente caelum gaudio exultat: qua laetitia caelum ipſum, omneſque caelites exiluiſſe credimus, tanto ſacerdote in beatorũ illud perenne domicilium tranſeunte? Nihil igitur eius nomine doleamus. nil iam de Farneſio demiſſum aut humile cogitemus. vitae potius beatiſſimae recordatione tanti viri deſiderium leniamus. Quid enim boni contingere vlli poterat, quod non illi abunde contigerit? qui magnis principibus ortus, quales ipſe, quantoſque principes reliquerit, ſcitis. qui cum primum per aetatem licuit, honores ampliſſimos ita geſſit, vt egregiis actionibus partam gloriam nulla vmquam abolere poſſit obliuio. qui quam ab ineunte aetate, virtutis, prudentiae, pietatis expectationem concitarat, eam quotidie magis magiſque ſuperauit, idque ad extremum, eumdemque beatiſſimum vitæ diem. Quid erat, quod

illi amplius optaremus? An vt nobiscum perpetuo maneret? at hoc nec ius fasque est, nec naturae consentaneum, nec faxit Deus, vt ipsi heic perpetuo maneamus, vitaeq. huiusce semper fluctibus agitemur. Quando igitur ei iusta persoluimus, nihil est quod illum amplius lugeamus. mortui lugeant mortuos suos. Nos autem quibus haec quae dicitur mors, immortalis est vitae initium, dum in hoc curriculo versamur, vt subeuntes portum solemus, faustis illum acclamationibus, quod ad huc fecimus prosequamur: eiusque labores honestissimos imitemur, vt & praemia consequamur. Sic & voti compotes erimus, vt cum illo perpetuo viuamus. quod & eius facta recolentes assidue cum illo erimus, & exhuius vitae carceribus emissi, vbi ad calcem venerimus, cum eo perenni ac sempiterno aeuo fruemur.





IN · FVNERE ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS

FRANCISCI. BENCII e Societate IESV

ELEGIA



EDITE iam lacrimae: via iam laxata querelae est:
Vox properat tardas non bene passa moras.
Carceris angusti longum indignata recessu,
Sat memor officij, non memor ipsa modi:
Turbida vox properat, septo velut aggere torrens
Ut sibi praeclusum per vada pandit iter:
Murmure se rauco primum increpat: impulit vna
Impetus: & tandem qua data porta ruit:
Tum strepitu ingenti conantia sistere frangit,
Fertur, & indomitas in mare portat aquas.
Magnus Alexander Farnesius occidit: eheu

Heu, moriens secum gaudia quanta tulit.
Non hominum timuit iustis obsistere votis
Mors fera, & infestas inijcere ausa manus.
Et tacita haec spectem lingua? nec verba profundat
Cum sonitu, innumeris mens labefacta malis?
Hoc bene, non soli querimur: iacet obsita luctu
Urbs pia, praereptam quae sibi poscit opem.
Romulidum iacet omne genus. Causa vna dolendi
Omnibus: haud vnus profluit ore dolor.
Hic dolet, in rebus se quod circumspicit arctis:
Hic quia subsidio deficiente cadit.
Hic ruit in gemitus, plenis quod nubilis annis
Filia, sedem humilem progeniemq. grauat.
Huic lacrimae ex oculis, quem vexat morbus. At illi
Est quia pauperiem prodere voce pudor.
Illa viro mulier, prolesq. orbata parente,
Nunc deserta sibi, visaq. sola sibi.
Pro se quisque suum certat vulgare dolorem,
Fletibus & mistis omnia maesta madent.
Pars bona nobilium, Romanae quod decus vrbis
Occidit, & Latij gloria facta minor.
Hinc velut indictum communi in clade, recentis,
Iustitium, & luctus, signa dedere mali.
Ducitur insigni lugubris funere pompa
Per fora, nigranti syrmate, perq. vias.
Te quoque caelestis iubar immortale Senatus
Terruit extincta lux radiata face.
Ordinis ille tui princeps, quem saepe solebas

Consu-

Consulere, vt subito decidit interitu.
Exuit hoc nitidum visu mutata ruborem
Purpura: maerentes nam decet iste color.
Sic ferrugineos par est imitari hyacinthos,
Heu modo funestae tristia signa domus.
Funerei flores inscripti nomina regum,
Et gemitus (eheu non latuere) notas.
Vos ego, vos olim, terrestria sidera, sed nunc
Lilia in aetheriis sedibus esse putem.
An quia cognatum repetit sua pignora caelum,
Et color e summis arcibus ille venit?
An quod Alexander caelo intulit? Illius auctu
Plenior est Superum nobiliorq. chorus.
Despicit hinc longe terrarum lubrica regna,
Quae meruisse magis, quam tenuisse iuuat:
Nec minus & veteres gaudet spectare clientes,
Et diuina illos promptior auctat ope.
Hinc precibus iuuat effusis, quas protegit oras,
Utraque quas pelago diuidit Hesperia.
Huius & auxilio simul & Germania tuta es,
Et plaga frigenti qua micat Ursa polo.
Te quoque, Belgarum domitor, noua gloria belli,
Adspiciens propius, qua valet arte, fouet.
Tu proauo & patruo laetus cognomine, tendis
Fortia Pellaei vincere facta ducis.
Ille tibi e celso plaudit sublimis Olympo,
Inq. tua aeternum suscitat arma Deum.
Non aliter tibi victori iam plauserat idem,

In terris

In terris, hominum cum pater, esse sinit.
Illi Christicolum fuerat res publica curae,
Unus & antiquae relligionis amor.
Haec puero pia cura fuit: dein ordine vires
Tempore perpetuas progrediente capit.
Carole tu testis fratris socer inclytus: ad te
Nomine quando adiit conspiciendus aui.
Disiectosq. tulit secum per fulmina montes,
Argumentum ingens nominis, atque rei.
Tu testis Francisce animis inuicte, supremi
Pontificis subiit cum tua tecta nepos.
Cum similis caelestum ori, maioraq. visus
Est tibi mortali condicione loqui,
Namque rudimenta haec iuuenis Farnesius: illas
Primitias, regum conciliator habet.
Haec tibi Alexander primordia: talis, in vsus
Pontificum, tali praeditus arte venis.
Quamquam illi per te, manifesto numine, certe
Non sine te, summum corripuere gradum:
Adiutor tu tanti operis, tu muneris auspex,
Tu bonus auxilio, consilioq. bonus.
Seu Zephyrus placidum sternat mare: seu tonet Auster
Nubilus, & feriant flamina versa ratem:
Tu veluti cautes stas imperterrita ventis,
Ipsa licet fluctus aspera tollat hiems.
Res dubiae mentem non abiecere, secundae
Inflauisse aura non potuere leui.
Tempus vtrumque vno fers pectore. Conscia tantum
Ipsa

Ipsa sui Virtus, & benefacta valent.
Tu regum magnorum animos curasq. gerebas ,
Quorum etiam, rebus vincere quaeris, opes.
Dicite vos Cimini colles, fontesq. , lacusq. ,
Siluaq. ab inuito iußa virere solo :
Dic sedes vicina vrbi, domus hospita regum,
Deliciae domini , diuitiaeq. tui.
Hic vbi iucunda solitus considere in vmbra ,
Curarum a strepitu cum requießet herus.
Sed cur vos taceam magni de nomine IESV
Vos Capitolinis proxima templa iugis?
Vos maiora vocem terris, aut aemula caelo ?
An formam inspiciam, vel magis artis opus ?
Vos modo candenti nituistis marmore, & auro:
Nam tholus auratis spirat imaginibus:
Vos, lapis externus, Phrygiis vos ara columnis,
Quaeq. diu admirans limina quisque manet ,
Haec ea iam fuerat visendi causa: sed, eheu ,
Altera visendi vos modo maior erit.
Venerit huc quisquis, lucentem pronus ad aram
Rite simul Superis fuderit ore preces :
Cetera contemplans , venerabitur ante sepulcrum
Principis, & lacrimans talia dicta dabit.
Magnus Alexander iacet hic Farnesius . An ne
Vmquam erit, vt similem postera saecla ferant ?

FINIS.

A

AV

TT

1.